



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

40. An irregularitas incurratur à pueris ante pubertatis annum? Ex p. 4. tr.
2. res. 67.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

De Irregularitate. Ref. XXXVIII. &c. 223

RESOL. XXXVIII.

Canonicus mihi conjunctissimus literis ad me missis, scire volebat utrum Sacerdos Beneficiarius exercens per multos annos crimen Sodomiticum cum femina, occulte tamen, & sine scandalo, incurrerit irregularitatem, & penas Extravag. Pii V?

Et an doctrina dictae questionis procedat in omnibus aliis criminibus, quibus à jure infamia annexa est, ut sunt perjurium in judicio, Simonia, usura usurarum, sacrilegium, duellum, haereticus ejusque favor, crimen laesi Majestatis, percussio hostilis Cardinalium, & similia? Ex p. 2. tract. 17. & Misc. 3. Refol. 21.

Responsum negativum accepit, & primum quoad irregularitatem, licet sodomia ratione infamiae illam inducat, cap. infames 6. q. 1. cum sit crimen enormissimum, ut habetur, in ead. l. 32. q. 7. tamen cum occulte exercetur, non inducit irregularitatem, ut tradit Navar. c. 22. d. 249. cum Valent. tom. 4. disp. 7. q. 19. penult. 3. §. 5. & Coninch. de Sacrament. disp. 18. dub. 7. n. 56. & habetur expresse in c. ult. de temporibus ordinandorum. Cujus rei ratio est clara, nam crimen occultum non parit infamiam secus autem si esset publicum, ut ex multis probat Avila de cens. p. 7. disp. 4. concl. 1. quae doctrina procedit in omnibus aliis criminibus, quibus à jure infamia annexa est; ut sunt perjurium in judicio, simonia, usura, usurarum, sacrilegium, duellum, haereticus, ejusque favor, crimen laesi majestatis, percussio hostilis Cardinalium, & similia. Cum igitur dictus sacerdos non sit sodomita publicus, non erit irregularis.

2. Quoad penas Bullae Pii V. privationis privilegii clericalis officii, & beneficii, &c. Dico probabilior esse illam sententiam, quae asserit dictam Bullam non esse receptam in usu quoad interius: sic Henriquez lib. 14. cap. 5. num. 1. littera F. Avila de cens. p. 7. disp. 4. dub. 7. concl. 8. in fine, cum Greg. Sayro lib. 7. cap. 12. n. 23. Adde quod licet dicta Bulla esset recepta etiam in foro conscientiae, tamen dictus Sacerdos exercens actum sodomiticum cum muliere, non incurreret in praefatas penas. Sic Azor in terminis p. 3. lib. 2. cap. 19. q. 3. ubi quaerit, an in hac Extravaganti Pii V. comprehenderetur Clericus committens copulam contra naturam, cum femina: & respondit, minimè, quia licet vas sit contra naturam non est tamen peccatum sodomiticum, quia sodomia est concubitus, in quo non servatur debitus sexus: ut ipse Azor. c. 20. probat ex D. Th. 2. 2. q. 154. art. 11. Caietan. ibid. Scio contrariam opinionem tenere Sayrum de censur. ubi supra num. 13. in fin. Aloysium Riccium in sua praxi p. 1. refol. 302. n. 2. Garbam de beneficiis. tom. 2. p. 11. c. 10. §. 2. n. 207. & Prosperum de August. in addit. ad sum. Bullarii Stephani Quaranta ver. sodomia, ubi ait. Praesentis constitutionis dispositionem, & penas ampliamus, non solum in clerico sodomita masculorum concubitore, sed & in eo, qui feminam praepoltera venerit cognoverit, cum in hoc casu sodomia proprie committi dicatur, & citat Afflicum, Menochium, Clarum, Covarruviam, & alios. Sed mihi opinio Azorii probabilior videtur. Sed de hac quaestione iterum infra redibit sermo.

RESOL. XXXIX.

An irregularitas orta ex infamia juris contrahatur, si crimen est occultum?
Et an simonia in Ordine, & beneficio, si occulta sit, inducat irregularitatem?

Et an Sacerdos publicus concubinaris, vel adulter, post peractam poenitentiam, & emendationem publicam vita, interposito saltem aliquo temporis spatio, sine dispensatione celebrare possit, quia ex infamia facti non oritur irregularitas?

Et docetur Clericos concubinaris notorios suspensionem ab officio contrahere, sed suspensionem istam consuetudine contraria ablatam esse. Ex part. 4. tractat. 2. Refol. 93.

S. 1. Afirmativam sententiam docet D. Antoninus part. 3. tit. 28. cap. 6. §. 7. Sylvester ver. irregularitas, quest. 14. & P. Suarez de cens. disp. 48. sect. 1. n. 17. cum ait, quod talis qui occulte commisit crimen, cui infamia ipso jure annexa est, teneatur abstinere ab Ordinibus tanquam irregularis, si cesset periculum se infamandi, &c.

2. Verum contrariam sententiam probabiliorum esse existimo, quam tueretur Covarr. lib. 3. var. cap. 3. n. 2. Tannerus tom. 4. disp. 6. quest. 1. d. dub. 11. n. 227. Coninch de cens. disp. 18. dub. 7. num. 56. Henriquez lib. 14. cap. 5. n. 2. & Avila de cens. part. 7. disp. 4. dub. 7. concl. 1. ubi docet quod nullum crimen, quantumvis enorme, inducit hanc irregularitatem, si non sit notorium, praeter homicidium, ex cap. ex renore, de tempor. ordinat.

3. Hinc contra Covar. in Clem. si furiosus; part. 2. §. 3. n. 4. ver. hoc ipsum, simonia in ordine, si occulta sit, non inducit irregularitatem, quia non invenitur textus expresse in quo talis irregularitas infligatur, & vlt. & pro & licet videatur hoc dicere cap. inquisitionis, de accus. tamen simonia per illum textum, ut attentè legenti patebit, non inducit irregularitatem, sed suspensionem. Imò ego puto cum Avila loco citato, conclus. 7. simoniam in beneficio non inducere irregularitatem, etiam si publica sit, quod antea docuit Henriquez lib. 13. cap. 37. num. 5.

4. Notandum est etiam hinc obiter contra Navar. Quoad hoc runa in man. cap. 25. n. 73. & 77. Sacerdotem publicum concubinaris, vel adulterum, post peractam poenitentiam, & vitæ emendationem publicam, interposito, saltem aliquo temporis spatio, sine dispensatione celebrare posse, quia ex infamia facti non oritur irregularitas simpliciter dicta & indelebilis, donec per dispensationem tollatur, nec obstat quod D. Antoninus part. 3. tit. 27. cap. 3. Sylvester ver. concubinaris, quest. 5. Covar. in Clem. si furiosus, part. 1. §. 1. num. 5. doceant Clericos concubinaris notorios suspensionem ab officio contrahere, ex cap. praeter, dist. 32. cap. si qui sunt, dist. 81. cap. ult. de cohabit. Cler. & mulier. Nam respondeo suspensionem istam consuetudine sublatam esse, ut docet Sotus in 4. dist. 1. questione 5. in tr. 3. Ref. art. 6. circa 2. argum. & alii quos citat, & sequitur 66. Layman in Theolog. mor. lib. 1. tract. 5. part. 1. cap. 4. num. 11.

RESOL. XL.

An irregularitas incurritur à pueris ante pubertatem annum? Ex p. 4. tract. 2. Refol. 67.

Negativè respondet Ioan. Sautius in selectis disp. 26. n. 18. ubi sic ait: Puto non incurrit irregularitatem puerum occidentem ante pubertatem, nam cum odia restringenda sint, ex regula juris in 6. Odia, &c. sit excommunicationem nec ceteras penas incursum pueros nisi post annum decimum - quartum, & feminas post completum duodecimum. Ita ille, qui citat Avilam part. 7. disp. 6. sect. 1. dub. 13. & Henriquez lib. 13. cap. 3. n. 4.

T 4 Sed

Sed isti Doctores hoc non asserunt, sed docent pueros dolos capaces incurrere irregularitatem, quod aliqui extendunt etiam, si ante septennium habeant plenum usum rationis, quod Avila, & merito negat. Et ista affirmativam sententiam tenet novissime Gavantus in aphorismis. *Episcopus. ver. irregularitas, num. 91.* ubi sic ait, Puer major septennio occidens sit irregularis. Vide etiam Præpositum in 3. part. *quest. 5. de irregular. dub. 10. num. 76.*

RESOL. XLI.

Olim hoc facti genus mihi propositum fuit: Vir Nobilis recepit in domum suam quemdam infantem expositum in Hospitali, modo cum sit adolescens bona indolis, vult illum ad sacros Ordines promovere, quaeritur, an iste sit irregularis, propter periculum illegitimitatis, ita ut exeat dispensatione? Ex p. 2. tr. 15. & Misc. 1. Resol. 22.

Sup. hoc in *caus. Ref. seqq. & in tom. 3. tr. 3. Ref. 66 § Et ideo, & in tom. 6. tr. 1. Ref. 32. cum multis DD. in §. Restat. paulo post init. & in to. 8. tr. 2. Ref. 13. ad med. vers. Hinc sequitur.*

S. 1. Affirmative respondit Tolet. *lib. 1. c. 52. Rebell. de obligatione just. p. 1. lib. 1. q. 2. num. 15.* Avila de *conf. p. 7. disp. 3. dub. 9.* Sayrus de *conf. lib. 7. c. 10. n. 39.* Valquez in p. 2. *disp. 66. n. 48.* Castillo *quotidian. q. 3. lib. 2. c. 19. n. 51.* Honded. *lib. 2. conf. 47. n. 23.* Covar. Majolus Salzed. Vgolin. Henriquez. Lopez, Rodriguez, & Candelabrum aureum, apud Garfiam de *benefic. tom. 2. p. 7. c. 2. n. 8.* & novissime Bonac. de *conf. disp. 7. q. 2. punct. 3. n. 10.* Ratio est, quia expositi frequentius sunt ex turpi conceptione, in obscuris autem solet inspicere, quod est verisimilius, & cum expositus sit dubius de sua legitimatione, debet in dubiis tutior pars eligi, c. illud, de cleric. excommun. ministr.

2. Hæc opinio est probabilis, sed contraria non caret etiam sua probabilitate, ut notavit Suarez in 3. part. *tom. 5. de conf. disp. 50. sect. 4. num. 4.* & Filliuc. in *quest. mor. tom. 1. tract. 19. c. 5. n. 141. & 143.* & illam amplexi sunt Ananias in c. 1. n. 11. de infant. expos. Felin. in c. cum deputati, num. 1. de iudiciis. Cardin. Paleot. de spuris, c. 63. à n. 3. ad finem, & ex neco-ricis Gratian. in *discept. forens. p. 1. c. 135. num. 1.* cum Molfesio in p. 2. q. 19. art. 5. *disp. 87. in fin.* Salas in p. 2. D. Thom. *tom. 2. tract. 8. disp. unic. sect. 24. numero 246.* Sanctarel. *var. resol. q. 44.* & Coninch de Sa-cram. *disp. 18. dub. 12. num. 105.* Ratio est, quia qui-libet præsumendus est legitimus, dum non probeatur contrarium: tum quia in dubiis præferenda est pars benignior; ideo stante dubitatione, præsumendum est pro legitimatione.

3. Verum est quod Filiucius, Suarez, Sayrus, Bonacina, ubi supra, & Henriquez *lib. 14. c. 8. n. 10.* cum Reginald. in *praxi, tom. 2. lib. 30. tract. 2. c. 7. n. 77.* putant in hoc casu ad tollendos scrupulos, tutius esse, tales expositos saltem petere dispensationem ab Episcopo: non quia Episcopus possit dispensare in irregularitate proveniente ex defectu, sed quia illius facultas prodesse potest ad pacandam conscientiam, adjuncta opinione probabiliter asserente, expositum non esse præsumendum irregularem: sed hæc doctrina à Nicolao Garfia ubi supra n. 10 non admittitur.

4. Sed quidquid sit de illa, Dico absolute, & simpliciter expositos, sine dispensatione, non solum Papæ, sed etiam Episcopi, sine ullo scrupulo posse sacros Ordines recipere. Ex his patet responsio ad argumentum contrariæ sententiæ: & illa regula, quod in dubiis tutior pars est eligenda, intelligitur, & procedit generaliter quoad hoc, an sit prohibitum, sed debet ab illo abstinere. Non tamen procedit quoad hoc, ut in dubio debeat quis spoliari, seu privari re-

possessa, vel facere actum positivum, de cuius obligatione non constat, ut est in casu nostro: nam tunc est conditio possidentis. Quæ quidem regula non solum procedere in materia iustitiæ, sed etiam in aliis virtutibus, ut nos contra Valquez, & Azorium præter citatos DD. vide Piafec. in *praxi Episc. c. 1. n. 27.* Mandosium de *etate min. c. 14. n. 24.* Hostiensium in *sum. tit. qui filii sint legitimi, n. 8.* Andr. Victorell. in *Notis ad Manuale Navar. c. 27. n. 201.*

RESOL. XLII.

An expositi censendi sint irregulares, & sint baptizandi?

Et si infans invenitur sine scheda de Baptismo restante, & puer ex colore, & ætate videtur infans natus ante mensem, an in tali casu sit etiam cum conditione baptizandus?

Et quid, si puer expositus fuisset inter infideles etiam si habeat chartam testamenti de Baptismo?

Et an peccet mortaliter, si quis non baptizatum baptizat sub conditione? Ex p. 3. tract. addit. Ref. 6.

S. 1. Pro affirmativa sententia in part. 2. tr. 25. *ref. 6.* Quæritur 22. adduxi plures Doctores, quibus nunc ad do Hurtadum de *irregul. disp. 2. diff. c. 13. n. 57.* verum ibi contrariam sententiam probabiliter existimavi, & iterum existimo unde tales possunt ordinari sine ulla dispensatione & metu irregularitatis, & præter DD. citatos ibi adductos docet eam sententiam novissime Paulus Squillante de *privileg. Cleric. c. 4. dub. 2. n. 39.* Barbosa de *potest. Episc. part. 3. alleg. 52. n. 150.* & me citato Dominicus Tallonus in *pragmat. de Antifano, ver. 13. obs. 1. n. 78.* verum de hoc iterum redibit sermo in 4. part. tract. de irregularitate.

2. Sed an dicti (& est casus quotidianus) sint baptizandi sub conditione? Henric. *lib. 2. c. 31. n. 1.* putat si quis infans inter Catholicos in janam Ecclesiam, aut alterius hominis expositus invenitur, credi debere baptizatum, nisi peculiare conjectura gravem suspicionem in contrarium gigneret, ut si eo loco degerent multi infideles, aut Anabaptistæ, qui filios suos non baptizarent. Sed hoc ut advertit recte Adamus Tanner. in 3. p. *disp. 4. q. 2. dub. 4. n. 113.* major indiget limitatione: nam sæpe mulieres cum ad scelus regendum partum occulte effundunt, parum sunt sollicitæ de spirituali infantis salute, sed hoc potius curant, ut partum à se quovis modo, & quam fieri potest occultissime amoliantur. Unde quoties tenellus & paucorum dierum infans expositus reperiretur, meo quidem iudicio necessariò sub conditione baptizandus esset, quod etiam in Eboracensi Concilio fuisse statutum refert Baron. *tom. 12. Annal. secus esse si infans reperiretur cum scheda Baptismi teste, ita Tannerus.* Vide etiam Præposit. in 3. part. *q. 66. art. 9. dub. 2. n. 102.* Layman, Coninch, & alios ubi infra.

3. Difficultas verò est, si tale testimonium non apponatur, sed puer ex colore & ætate videretur infans natus ante mensem, an in tali casu sit etiam cum conditione baptizandus? Negative respondet Sot. in 4. *diff. 3. q. unica, art. 9.* Filiuc. *tom. 1. tr. 2. c. 6. n. 149.* Valquez, Ochagavia, & alii. Sed ego in tali casu consulere rem infantem baptizandum esse sub conditione, & ita docet Villalob. in *sum. tom. 1. tr. 5. diff. 7. n. 4.* ubi sic ait: [Dize Soto que si se juzgasse por la edad que un niño era de mas de un mes, o veinte dias, no se atreveria a baptizarle. Mas yo en este caso dixera que le baptizara de baxo de condicion, pues no avia certidumbre que estava baptizado, mayormente que en tan tierna edad]